SERENISSIMO PRINCIPI

EMMANUELI THEODOSIO CARDINALI BULLONIO

ODE

Quod acceptam nuper a Summo Pontifice Purpuram ſibi, meritiſque ſuis vnice debeat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SIC *eſt : non ego,* BULLONI,
Vates vanus eram, debita cum tibi
Sacræ munera purpuræ
Jamdudum canerem: nec ſua defuit
Vati, quam meruit, fides.
Et te purpureis patribus additum,
Exultantibus e jugis,
Vulgavit populis Roma: tibi prius

Quod ſpes publica voverat.
Quæ non lætitiæ ſigna dedit pater
Tybris, lene frementibus
E ripis? Thalamo nec male reddidit
Plauſum Sequana de ſuo.
At non te meriti muricis ad decus
Promovit temeraria
Fortunæ levitas, non popularibus
Auris gratia Principis
Parta, aut ſollicitis ambitionibus:
Non te fata domeſtica,
Non diſcrimina per mille Turennius,
Laudem quærere nobilis:
Quando pro patria, & Principe pro ſuo,
Devotus toties mori,
Objectaſque acies rumpere fervidus
Altum fulminat ad Sabim;
Non te illuſtre genus; non avus, aut pater,
Bellis egregii licet
Ambo, conſiliis præcipuus tamen,
Et pollens pater arduæ
Mentis; non atavi denique Cæſares,
Qui per Naſſaviam domum
Acceſſere tuæ; non reliquas ſupra
Laudatiſſima fœminas,
Te mater Latio murice veſtiit;
Non clariſſima turribus
Stirps Arverna ſuis: non tibi contulit

Fratrum turba faventium,
Romanæ pretium nobile purpuræ.
Hanc iſti ſapientiæ,
Cujus conſiliis omnia temperas,
Debes moribus hanc tuis,
Hanc debes meritis denique, & his, quibus
Omnes tam bene gratiis
Devincis animos. O novus incitæ
Si menti incideret calor,
Si vis alta: quibus ſcilicet, ah! quibus
Princeps magne tuum modis,
Plaudentes canerem per populos decus?
Quo te carmine dicerem?
Quanquam ô, ſpero equidem, languida ſi gravis
Sacrorum taciturnitas
Fors vatum ora premat, mox erit, ut tuum
Gentes nomen ad ultimas
Centum Fama tubis ferre præoccupet,
Nec jam Juſtitiæ ſoror,
Virtutiſque comes Gloria, cæteros
Demum provehere ad gradus,
Te ſic promeritum differat: id tibi
Nato ad grandia ſpiritu,
Vis excelſa tuæ ſpondeat indolis:
Nec regis favor abnuat:
Id regnum velit, & relligio petat.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE